

G  
C  
1016/m7



# R E G V L A E

## M A G I S T R I

### N O V I T I O R V M .



EM esse magni momenti sibi commis-  
sam intelligat, quandoquidem ex pri-  
ma Nouitiorum institutione pendet  
maiori ex parte eorundem profectus,

Et spes nostræ Societatis in Domino, curetque ut in  
dies per studium propria perfectionis instrumentum  
aptius ad eos iuandos reddatur.

2 Amabilem se præstet, & uitæ integritate, ac Par. 3. c. 1  
discretione ita se gerat, ut omnes, qui in probatio- S. 12.  
ne sunt, ad eum in sustentationibus confidenter,  
confugiant, eique se ipsos confidenter aperiant, &  
ab eo consolationem, & auxilium in omnibus in  
Domino sperent.

3 Versatum esse oportebit in lectione librorum In ex. 7. 4.  
spiritualium; ut deceptiones, quæ in spiritali uita S. 9.  
accidunt, non tantum experimento, sed etiam le-  
ctione intelligat, & eos, qui nostro instituto con-  
ueniunt, Nouitijs legendos tradet. cuiusmodi au-  
tem esse debeant, ex subiecto catalogo intelliget.

4 In primis diligenter curet, ut Nouitij sex illis

A 2 expe-



experimentis, quæ in Constitutionibus traduntur, seriò, & cum desiderato fructu exerceantur, intelligatque præcipuam nouitiatus partem in his probationibus positam esse.

In ex. c. 4. § 10. & p. 3. c. 1. §. 20. 5 Non post multos dies ab ingressu in secundam probationem exercitiâ spiritualia primum singulis eo, quo procedunt ordine, exactè tradantur secundum uniuscuiusque dispositionem, & captum, iuxta regulas libri exercitiorum, prætermittis tamen his, quæ ad electiones spectant, ut inde, præter alia, certam, ac nostro instituto consentaneam mente, & uoce orandi rationem habeant, quam in posterum seruare debeant.

In ex. c. 4. §. 1. 6 Quò ad secundam probationem, qua hospitalibus per mensem seruire debent, uidebit ipsè, quid magis expediat, an nostros ibidem cibum capere, nec dormire, an uerò per aliquot horas quotidie ministerium ægris impendere.

7 In hac probatione aduertat ne nostri nimio seruore suæ ualitudini noceant, aut periculo contagionis alicuius morbi se exponant, admonebitque, ne ingrediantur partem illam xenodochij, ubi mulieres habitare solent.

In ex. c. 4. §. 12. > 8 Mense alio ad peregrinandum sine pecunia mittantur, ostiatim pro Christi amore mendicando, ut ad incommoditatem comedendi, & dormiendi assuescant, & ut omni spe abiecta, quam in pecunijs, & rebus alijs creatis possent constituere, eam integre,

NOVITIORVM. §

tègrè, & uera cum fiducia in Domino constituant.

9 Aduertendum ne imbecilles, aut tenerioris  
 atatis his peregrinationibus notabile detrimentum  
 patiantur, ne fiant a superiore hyeme, aut feruentio-  
 re estate, illisque regulas peregrinorum, literas  
 patentes, & cum opus erit, particularem etiam  
 instructionem tradet, <sup>a</sup> & ab ultimo loco, ad quem  
 perueniunt testimonium à Superiore domus, uel col-  
 legij Societatis, si ibi fuerit, uel ab alio fide digno  
 secum ferant, quod suam deuotionem secuti sine ul-  
 la cuiusque querela eò peruenerint: & in secundo,  
 quinto, & sexto experimento, <sup>b</sup> iuxta constitutio-  
 nes idem seruetur.

<sup>a</sup> In ex. c.  
 4. §. 20.

<sup>b</sup> Ibidem §.  
 19. & 22.

10 In quarto experimento, quo in officijs abie-  
 ctis exercentur, aduertat ne, nimia corporis fati-  
 gatione, spiritus obruatur, & à scholasticis fiat  
 potius ad propriam cuiusque abnegationem, & hu-  
 miliationem, quam pro domestica aliqua necessita-  
 te. Dum autem hæc probatio fit in domo proba-  
 tionis uacabit qui ita probatur, ab alijs exercitijs  
 aliorum nouitiorum, exceptis conferentijs, & ex-  
 hortatione ordinaria.

In ex. c. 4.  
 §. 13

11 Cum hæc probatio non fit in domo probatio-  
 nis, sed in domibus professis, aut Collegijs, sit ali-  
 quis, qui nouitiorum peculiarem curam gerat, ubi  
 in recreatione separati sint, <sup>c</sup> adiunctis alijs, a qui-  
 bus in Domino adiuuari possint.

In ex. c. 4. §.  
 16.

<sup>c</sup> Par. 3. c.  
 1. lit. D.

12 In docenda doctrina Christiana pueros, ac

In ex. c. 4.  
 §. 14.

A 3 perso-



personas rudes publicè, uel priuatim prout occasio se obtulerit, & in domino eis commodius uisum fuerit, tanquam in re propria nostri instituti  
 > Nouitios exercendos. curabit. habita personarum ratione.

In ex. c. 4.  
 §. 15.

13 In confessionibus audiendis; & prædicatione Diuini uerbi domi, aut foris circa finem primi anni probentur, qui ad huiusmodi ministeria idonei inuenientur, & bonæ edificationis speciem iam dederint, eo tamen modo, ne tanquam operarij ordinarij ad ministeria hæc exercenda exponantur, sed breui tempore, & ad probationem.

14 Tametsi exercitia spiritualia exactè omnibus in principio secundæ probationis tradenda sunt, ut superius præscriptum est; quo ad reliqua tamen experimenta, si quod eorum permutandum, aut multum moderandum iudicaret, id ne faciat inconsulto Prouinciali: quamquam antepone, aut postponere ipse ea poterit, pro ratione personarum, temporum, aut locorum.

15 Aduertat, ut hæc probationes inter se debitis spatijs distinguantur, ita ut nouitij, una peracta, aliquandiu ad solita exercitia domus probationis redeant, ut corpore, & spiritu recreati, uberio-  
 rem fructum ex præteritis laboribus colligant, ea  
<sup>d</sup> In ex. c. tamen ratione, <sup>d</sup> ut intra annum omnes absoluantur,  
 4. §. 16. iuxta Constitutiones; quod si peculiari aliqua de causa, hæc probationes ad secundum annum dis-

rende

rende uiderentur, prius Prouincialis consulatur.

16 Præter hæc experimenta, alia fieri hoc bien-  
nio probationis possunt, & hæc eadem ex parte re-  
peti, quando in Domino ita expedire iudicauerit, &  
& quidem omnia cum maturitate, & prudentia,  
& adificatoine etiam externorum sunt facienda.

In ex. c. 4:  
§. 16. & p.  
2. c. 3. §. 8.  
lit. E

17 Ne fiant mortificationes publicæ, nisi ordina-  
riæ, iuxta Constitutiones, ut sunt præter solita expe-  
rimenta, petere ostiatim eleemosinam, comitari  
emptorem ad comportanda ea, quæ emuntur, in  
dui uestibus uilioribus, quæ tamen religiosos de-  
ceant, & alia id genus, ut in officio Rectoris di-  
citur.

18 Conuenit, ut qui probantur, uestitus ratione  
ad mortificationem, & abnegationem sui, & ad  
mundum, eiusque uanitatem sub pedibus conculcan-  
dam inuentur, & id quidem quantum consuetudo,  
officium, & personarum circumstantia patientur.  
Discretionem autem eius relinquitur, habita ratione  
adificationis, an cum eisdem uestibus, quas ex secu-  
lo tulerunt, incedere sint permittendi, an uero cum  
alijs eas permutari oporteat.

P. 3: ca. 2.  
li. C. & in  
ex. c. 1. §.  
13. & li. F

19 Conferet, ut aliquando occasionem præbeat  
ijs, qui probantur, exercendi obedientiæ, & pau-  
pertatis uirtutem, eosdem tentando ad maiorem ip-  
sorum utilitatem spiritualem; in hoc tamen mensu-  
ra iuxta uniuscuiusque uires obseruetur.

P. 3. ca. 1.  
lit. V

20 In penitentijs, & corporis afflictionibus ad-

P. 6. c. 3. §. 1

A 4 uertat,



uertat, ne nimius huiusmodi rerum usus tantopere uires debilitet, ut postea ad ministeria nostri instituti inutiles reddantur: nec contra tanta in illis sit relaxatio, ut seruore spiritus refrigescente, humani, ac inferiores affectus incalescant.

21 Lectiones fiant de his, quæ pertinent ad litteras apostolicas, & ad regulas, & constitutiones, præcipue de ijs, quæ in examine, & tertia parte, aut de alijs rebus nostro instituto consentaneis, **mutata** interdum materia, ut tedium tollatur: modus uero lectionum facilis sit, & simplex, & ad Nouitiorum animos ad instituti nostri amorem. & solidarum uirtutum perfectionem promouendos accommodatus.

P. 3. ca. 2. §. 20. 22 Explicetur breui enarratione doctrina Christiana, ac modus bene, & cum fructu consistendi, communicandi, missam audiendi, & eidem decenter ministrandi; orandi itidem, meditandi, & libros denique pios legendi, pro captu uniuscuiusque, tradatur.

Par. 9. c. 1. §. 26. 23 Admoneat crebro nouitios, ut in omnibus rebus Deum querant, & in suis actibus intentionem puram ad Dei beneplacitum dirigant, e ut familiares cum Deo in spiritualibus deuotionis exercitijs esse curent; & tandem ita sint instructi Nouitij, f ut nihil perfectionis, quod diuina gratia consequi possint, in absoluta nostri instituti obseruatione, prætermittant.

Omnes

NOVITIORVM.

24 Omnes in ingressu examinet, eosque perspetos habeat, ut magis illis prodesse possit: ad quod iuuabit, cum illis frequenter singillatim agere, & rationem ab unoquoque rerum suarum suauiter exigere: in his autem priuatis colloquijs magnam utilitatem positam esse sciat.

no

25 Det operam, ut Nouitij religiosam modestiam praeferant, iuxta constitutiones, & regulas, quae de ea conscriptae sunt, in quibus tempore nouitiatum diligenter instituendi erunt.

Par. 3. c. 13  
S. 4

26 Cognoscat, quem procedendi modum in oratione, & examine seruent, & petat interdum, an contra aliquem defectum adhibeant examen particulare, & quando resistunt temptationibus, an proprijs remedijs utantur: In acquirendis uirtutibus, quam rationem teneant, & intelligat demum, an in his omnibus praestent ea, quae ab ipso acceperunt.

27 Si aliquis sollicitetur, uel perturbetur ab ijs, qui in uia spiritus non bene procedunt, & expediat illum in alium locum transferri, Patrem Prouincialem tempestiue moneat.

Par. 3. c. 1.  
lit. A

28 Si duo in eodem cubiculo habitent, alter eorum eiusmodi sit, ut minimè dubitetur, quin alter sit eius societate profecturus, & eandem ob causam inter cubicula, quae seorsum unicuique iuniorum assignantur, par est aliquos maturos ex antiquioribus intermisceri.

Par. 3. c. 1.  
lit. D

Si



Par. 3. c. 1.  
lit. B.

29 Si aliquando permittendum videretur, ut aliquis consanguineos, uel amicos, quos in seculo habebat, alloqueretur, coram aliquo à Superiore ad id designato, id fiat, & breuiter, nisi particulares ob causas aliud statueret Superior totius domus, uel Collegij.

30 Nouitij non sunt, ut plurimum assignandi in socios nostris, qui adeunt domos secularium, nec debent habere officia publica, in quibus necessarium sit agere cum externis, ut Emptoris, Ianitoris, & Sacristæ.

P. 3. c. 1. S.  
3. & li. D.

31 Videat num aliqui in schedulis Nouitijs assignandi sint, ut cum eis loqui possint, quorum exemplo, & colloquijs proficiant in Domino, & si cum alijs sine facultate egerint, debitam eis pœnitentiam iniungat.

Par. 3. c. 1.  
lit. T

32 Admoneat eos, ne uota ante biennium emittant sine Superioris facultate, quam in primo anno nouitiatus, solus Prouincialis dare poterit ob causam aliquam maioris momenti. § horum autem qui hæc uota societatis semel apud se ex licentia Superioris, iuxta formulam Societatis emisserint, memoria in libro aliquo asseruetur, & postea tempore nouitiatus, <sup>h</sup> bis in anno Statutis temporibus, <sup>i</sup> seorsum ab alijs, qui biennium expleuerunt, illa renouabunt.

<sup>h</sup> Can. 39  
tr. congr.  
<sup>i</sup> ibidem

Can. 2.

33 Diligenter obseruare debet in toto probationis decursu, an ineptus aliquis, aut inutilis nostro institutu-

instituto probabiliter futurus sit. in quo maior habenda est ratio boni communis Societatis ad gloriam Dei, quam particularis cuiusque: quid autem sentiat in hac re, ad minimum sexto quoque mense ad Prouincialem scribat, ut ipse provideat.

34 De singulis etiam sub finem biennij ad eundem scribat, ut cum illius facultate consueta uota Societatis emittant, <sup>k</sup> aut diutius probentur. prius autem quam uota emittant, per hebdomada spatium se colligant, & aliqua exercitia spiritualia, præter alia, quæ præscripta sunt, faciant.

35 Scholastici, qui studijs absolutis tertium probationis annum peragunt, in uarijs experimentis, & speciatim in nonnullis iam dictis, quamuis illis prius iam persuncti fuerint, probentur. <sup>m</sup> Huius autem probationis tempore in schola affectus se exercent, & in rebus spiritualibus, & corporalibus, quæ ad profectum in humilitate & abnegatione uniuersi amoris sensualis, uoluntatis, & iudicij proprij, & ad maiorem cognitionem, & amorem Dei conferunt, insistant.

36 Adhibeat diligentiam, ut Coadiutores temporales in modo orandi iuxta Constitutiones instruantur, eosque mysteria Rosarij doceat, & priuatim instruat, <sup>n</sup> ut ad suæ uocationis ministeria aficiantur, & sorte Marthæ contenti sint.

37 Exhortationibus ordinarijs omnes intersint; coadiutores tamen temporales, & indifferentes

k In ex. c.  
1. §. 12. &  
c. 4. §. 43.  
l Ibidem c.  
4. §. 41

In ex. c. 4.  
§. 16.

m P. 5. cap.  
2. §. 1.

Par. 4. c. 4.  
§ 4.

n In ex. c.  
6. §. 6. &  
7. & p. 1. c.  
2. §. 2.

non



non interrogentur in conferentijs, nec ad tonos faciendos conueniant, & ij quidem per sex menses ad minimum in domo probationis sint: reliquo autem bienny tempore, sic sub cura Magistrerunt, ut alijs officijs ad instar aliorum coadiutorium uacare possint, & tempus ordinarium orationis domus, uel Collegij ubi agent, habeant: experientia tamen ad quæ apti fuerint. intra annum absoluant.

38 Habeat socium fidelem, & in rebus spiritibus exercitatum ex Patribus à Prouinciali designatum, qui in ijs, quæ in nouitiatu agenda sunt, sit eius Coadiutor. Habeat etiam aliquem fratrem ex antiquioribus in uirtute probatum & prudentem, qui iuxta ordinem obedientiæ significet unicuique exercitia exteriora, in quibus occupandi sint, & manu ducat illos, cum opus est, ad illa faciendâ.

39 Quando erit concio domi, uel in Ecclesia, quam Nouitij sint audituri eo die a Lectionibus, & Conferentijs, & Tonis liberierunt.

40 Singulis hebdomadis, die una, à solitis exercitijs uacent, in qua aliquid honestæ recreationis poterunt sumere domi uel foris.

41 In domibus probationis separatis, præter has regulas officij sui, habeat etiam regulas, & omnes facultates aliorum Rectorum, exceptis ijs, quæ nouitiati non conueniunt.

42 In domo probationis coniuncta domui Professorum, uel Collegio, habitatione tamen distincta, Magister Nouitiorum erit subordinatus Præposito, uel Rectori; non tamen erit sub obedientia Ministri sicut nec eius socius: in ea autem domo, uel Collegio cenatio sit communis, mensa aliqua Nouitijs, & eorum Magistro designata.

43 Hic Magister nouitiorum pœnitentias in Nouitiatu tantum suis Nouitijs imponere poterit, extra uero non nisi consulto Superiore.

44 Habeat hic idem Magister Nouitiorum potestatem ordinariam absoluendi a casibus reseruatjs Nouitios, qui sub ipsius cura degunt, nisi suo Superiori hæc facultas aliqua de causa restringenda uideretur.

45 Si cum aliquibus in secundo anno circa studia dispensauerit Prouincialis, ij extra domum probationis seorsum, & sub cura alicuius, qui uicem Magistri nouitiorum gerat in Collegijs degere debent, nec per dimidiam horam uesperis orare tenentur, exceptis diebus, in quibus a studijs uacauerint.



LIBRI



14  
LIBRI AD VSVM MAGISTRI  
NOVITIORVM ACCOMMODATI.

- Basilij Ascetica, & Regula.* Dionysij Carthusiani opuscula.  
*Gregorij Moralia.*  
*Augustini Confessiones, & meditationes.* Albertus Magnus de Virtutibus.  
*Bernardus.* Epistola Catherinae Senen.  
*Bonauenturae Opuscula.* Landulphus de vita Christi.  
*Cassianus.* HISTORICI.  
*Homiliae Dorothei, Macharij, Casarij Arelatensis Episcopi.* Gregorij Dialogi.  
*Opuscula Ephrem, Nili, Esaiæ Abbatis.* Gregorius Turonensis de gloria Confessorum, & vita S. Martini.  
*Diadocus.* Eusebij historia ecclesiastica.  
*Vgo de S. Victore de Claustro animæ.* Seuerus Sulpitius de vita S. Martini.  
*Ricardus de S. Victore.* Vita Patrum selectæ.  
*Vmbertus de eruditione Religiosorum.* Vita SS. Lipomani, & Suri.  
*Innocentius de contemptu mundi.* Petrus Damianus.  
*Thomas de Kempis de imitatione Christi, & alia eius opuscula.* Petrus Cluniacensis de miraculis.  
*Vincentij tractatus de vita spirituali.* Literæ Indicæ.  
 Vita Patris N. Ignatij. & alij similes ad nouitiorum vilitatem accommodati: ex quibus desumet aliquos pro illorum vsu.

RE-

15

# REGVLAE EXAMINATORIS.

Quæ in examinatore requiruntur, & quid præstare debeat.



**Q**ui examinat eos, qui Societatem ingredi petunt, habeat oportet cognitionem rerum eiusdem societatis, ac zelum boni progressus ipsius, ut nulla ratione dimoueri ab eo possit, quod magis in Domino conuenire iudicauerit.

P. I. ca. I.  
S. 4.

2 Moderatus admodum sit in admittendi desiderio, nam ut par est sollicitè cooperari uocationi diuinæ, ut augeatur in societate numerus operariorum vineæ Christi, ita diligenter curandum est, ne quis admittatur, nisi qui illis Dei donis præditus sit, quæ ad ipsius gloriam hoc institutum exigat.

P. I. ca. I.  
lit. C.

3 Quando aliquis Societatem ingredi petit, prius ipse agat cum eo, ut intelligat quæ sint eius dotes, & uocatio; <sup>a</sup> si quis autem clare deprehenderetur ineptus ad institutum Societatis, Superiori significet, & accepta ab eo facultate, illum consilio, & si quid aliud caritas suggerit, adiutum, statim dimittat: <sup>b</sup> alios uero ad eos mittat, qui à Superiore designati fuerint, ut cum illis colloquantur.

P. I. ca. I.  
S. 3.

<sup>a</sup> Ibidem  
ca. 4. S. 2.

<sup>b</sup> Eodem  
c. 4. l. D.

4 Postquam omnes designati, eum qui admitti desiderat



desiderat allocuti fuerint, curet examinatus, ut à Superiore vocentur & referant quid de eo sentiant: Superior autem quid facto opus sit constituet.

Par. 1. c. 4.  
lit. D.

5 Si ille qui ingredi cupit, nulli fuerit domi satis notus, intellecto eius nomine, & eorum, quibus cognitus est, extra domum inquiri poterit, cuiusmodi homo ille sit; iuuabit etiam ad hoc ipsum, si ad sacramenta in ecclesia nostra frequenter accedat. c  
Ibidem 8.  
3. & lit. C

Quod si adhuc de eo dubitaretur, non parum conferret, si in spiritualibus exercitijs constituatur, quibus peractis, si res nondum constaret, intelligat a Superiore utrum differendum responsum, aut omnino dimitendus sit.

Breue examen, quo illi utentur, qui cum iis qui ingredi volunt colloquantur.

In ex. c. 2.  
C. p. 1. c. 3

6 In primis qui admitti vult interrogetur decemter de quinque impedimentis essentialibus, prudenter tamen, ut ea impedimenta esse, quae à societate excludant ille non intelligat, ne uerum occultandi occasionem accipiat.

In ex. c. 2.  
S. 7.

7 Si aliquod ex his impedimentis in quoquam de tegetur, non est quod ulterius procedatur, sed quo ad fieri poterit cum consolatione dimittatur, si tamen in eo dona aliqua Dei illustriora cernerentur, prius oporteret rem omnem cum Superiore conferre.

In ex. c. 3.  
S. 13

8 Si nullum tale impedimentum esset; ulterius interrogetur an omnino decreuerit seculum relinquere,  
qui-

quibus de causis, aut quomodo desideria hæc ei in-  
mentem uenerint, & quamdudum ea habuerit, an in  
hac animi sententia renissior aliquando factus fue-  
rit, & quatenus.

9 A quo tempore deliberauerit Societatem in-  
gredi, & quid ipsum impulerit, ut hoc potius quam  
aliud institutum amplecteretur. An à quoquam præ-  
sertim nostris primum ad id motus fuerit. Num  
deliberatum habeat animi propositum uiuendi, &  
moriendi in Domino in hac Societate.

In ex. cap.  
3. §. 14.

10 Num habeat æs alienum, aut alias obligatio-  
nes.<sup>d</sup> Num morbum aliquem occultum, uel manife-  
stum, uel defectum in aliqua sui parte patiatur.

In ex.  
c. 3. §. 6.  
d' Ibidem  
§. 8.

11 Interrogetur de ætate, Patria,<sup>e</sup> Parentib. &  
eorum conditione, an rerum temporalium penuria  
præmantur, & an ipsius opera indigeant, aut proba-  
biliter indigere possint.

In ex. cap.  
3. §. 1.  
e' Ibidem  
§. 2.

12 An sit ex legitimo matrimonio, num à proge-  
nitorib. iam olim Christianis, an à modernis, uel hære-  
ticis descendat. An aliquis ex eius progenitorib. nota-  
tus fuerit, uel declaratus ob aliquem errorem contra  
nostram Christianam, & catholicam religionem.

In ex. cap.  
3. §. 2.

13 Si literis præditus est, interrogetur ubi eis ope-  
ram dederit, quantum profecerit. Ingenij autem et iu-  
diciij specimen ex sermone, & alijs conijcere licebit.

In ex. cap.  
5. §. 1.

14 Si Coadiutor est futurus, petatur de ætate, ac  
viribus; an omnino sorte Marthæ contentus futurus  
sit, & num aliquam artem nouerit, & obseruetur, an

P. I. ca. 2.  
§. 2. & 3.

B ad



ad virtutem, & deuotionem propensus sit.

P. r. ca. 4.  
S. 3.

15 Tandem curandum est, ut qui admitti desiderant, summam nostri instituti, probationesque, ac difficultates, quæ in eo sunt, bene intelligant, de ijs uero, quæ hic interrogantur, aut de instituto explicanda dicuntur, plura, aut pauciora iuxta personarum qualitatem, & cognitionem inquiri, & explicari poterunt.

Quid agendum sit cum ijs, qui in primam probationem admittuntur.

In ex. c. 1.  
S. 13. & P.  
1. c. 4. S. 1.

16 **P**ostquam in Domino statuetur, ad probationem aliquem admittendum esse in domo, uel habitatione separata primæ probationis hospitum more, duodecim dies, uel usque ad viginti, & amplius, prout Superiori uidebitur, diuersetur; ut eo tempore de ijs, quæ pertinent ad Societatem ipse certior reddatur, & Societas eundem plenius in Domino cognoscat.

Par. 1. c. 4.  
S. 4.

17 Postridie ei declarabitur quomodo in eo loco se gerere debeat, ac nominatim ne uerbo, aut scripto (nisi Superiori aliqua de causa non leuis momenti aliud uideretur) cum externis, uel domesticis agat, præterquam cum ijs, quos ad id Superior designauerit.

Par. 1. c. 1.  
lit. D.

18 Librum completum examinis absque declarationibus latina lingua pro ijs, qui eam intelligunt, & vulgari pro alijs scriptum Examinator habeat,

habeat, nec non & eisdem linguis Summarium constitutionum, & Regulas communes scriptas habere debet.

19 Elapsis duobus, aut tribus diebus examinari *In ex. c. 1. §. 13. & li. A. & p. 1. c. 4. §. 5.* accuratius incipiat, & relinquatur ei scriptum prædictum examen, ut solus id maturius consideret, nisi in aliquo particulari aliud examen breuius proponendum esse Superior iudicauerit.

20 Postea literæ apostolicæ Iulij iij anno 1550. *In ex. c. 1. §. 13. & p. 1. c. 4. §. 5.* & Summarium constitutionum, & Regulae communes eidem ostendantur, & relinquuntur, ut omnia per otium magis consideret, ijs uero, qui litteras apostolicas latinas non intelligerent, satis esset earum summam declarare.

21 Ordo examinandi esse debet; in primis proponere, ac prosequi, quæ quatuor primis capitibus examinis continentur: deinde ea, quæ speciatim ad literatos pertinent, uel Coadiutores, uel Scholares, aut indifferentes. quamuis autem omnibus integrum examen relinquatur, non sunt tamen omnes particulariter examinandi, nisi de ijs, quæ ad unumquemque pertinent, & si quid alicuius momenti occurrerit, quod Superiorem scire oporteat, scripto notabit. *In ex. c. 2. li. E.*

22 In his omnibus proponendis, & declarandis paulatim procedatur, ut qui examinantur res omnes nostri instituti, iuxta ipsorum gradum bene percipiant, ad suam maiorem satisfactionem,



& stabilitatem, & illa praesertim sunt magis explicanda, quae postea aliquam difficultatem asserere possent, vt de animi promptitudine ad seruendum Deo vbique, & in re quauis; de manifestatione suorum defectuum iuxta constitutiones; de indifferentia ad gradus Societatis in scholaribus, & literatis; & de manifestatione conscientiae, statutis temporibus.

23 Tempore primae probationis, vt commodius haec considerentur, non sunt illis tradenda exercitia spiritualia; lectione tamen alicuius libri pij, qualis est libellus de imitatione Christi iuuari poterunt.

24 Coadiutores temporales, qui legere non didicerunt, aut qui minus ad haec tractanda idonei videbuntur, quamuis in propria vocatione, iuxta ipsorum captum, plene instituendi sunt; poterunt tamen hoc tempore aliquo exercitio corporali, aut labore manuum iudicio Superiorum occupari, seiuuati tamen ab alijs.

In ex. c. 3. S. 1. 25 Si quid erit in interrogationibus, quod secretum requirat, id obseruabitur, vt par est, & interrogato placuerit; & declaretur tamen ei, quod iuxta constitutiones, licebit rem omnem Superiori manifestare.

In ex. c. 3. S. 1. lit. A 26 Admoneatur, vt vere omnino, ac sincere respondeat; nam aliter multa grauia incommoda in diuini oriri possent, & nihilominus admoneri confessarium

num oportet, ut si quis uere non respondisset, eius de ea re conscientiam stimulet.

27 Promittat relicturum omnia bona sua post unum annum ab ingressu, quando cunque iniunctum a Superiore ei fuerit; & declaretur, quod actus huius promissionis, nec votum est, nec solum propositum, sed promissio simplex, illa conditione affecta, si ipse perseverauerit, & Superior ei iniunxerit.

In ex. c. 4.  
S. 2. & C.  
3. tr. congr.

28 Quiliteris operam dederunt, de singulis facultatibus, in quibus versati sunt, singulas praelegant lectiores coram eis, qui a Superiore ad eorum talentum cognoscendum in doctrina, & proponendi modo sunt constituti, & postea exhortationem unam quisque faciat.

In ex. c. 5.  
S. 6. & P.  
1. c. 4. S. 5.

29 Si quis antequam fuerit in Societatem admisus, spiritualia exercitia non fecerit. (quae tamen omnes fecisse optandum est) non post multos dies ab ingressu in secundam probationem danda ei erunt, & quo tempore maiore cum animi sui preparatione conscientiam suam Superiori, aut ei quem Superior ipse delegauerit, aperiat, & confessario ab eodem designato generaliter confiteatur: quod si alicui de Societate iam antea fuisset generaliter confessus, satis erit si ab eo tempore generalem confessionem incipiat. Et si ab aliqua censura virtute nostrorum privilegiorum absolutus fuerit, admoneatur, quod si non perseverauerit, in eandem reincidet.

In ex. c. 4.  
S. 10.

f Ibidem  
S. 36. &  
T. 1. ca. 4.  
S. 6.

g In ex ca.  
4. S. 41. &  
P. 1. cap. 4.  
S. 6.

30 Si Superior iudicauerit eum domi retinendum, curet,

B 3

curet,



*In ex. cap.* curet, vt in libro ad id designato, quem penes se  
*4. §. 4. &* Procurator habere debet, scribatur quicquid unus-  
*P. I. ca. 4.* quisque domum attulerit cum subscriptione eius, qui  
*§. 6.* examinatus est, & vt hæc alicubi separatim asser-  
 uentur, quousque biennio expleto consueta vota  
 emisserit.

*Par. I. c. 4.* 31 Examinator in alio libro, quem apud se habe-  
*§. 6.* bit notabit diem, & annum ingressus uniuscuiusq;,  
 incipiendo à die, quo primam probationem intra-  
 uit, & nomen, & patriam; & quod contentus sit  
 obseruare omnia ei proposita. Quando vero aliqui in  
 Coadiutores temporales, & indifferentes admitten-  
 tur, speciatim id scripto declaretur, quod vt tales  
 examinati, & admissi fuerint, & hæc, qui exami-  
 natus est, manu sua subscribat, & si scribere ne-  
 scit, alius eius nomine scribat.

*P. I. ca. 4.* 32 Postremo, accepto sanctissimo Eucharistia  
*§. 6.* Sacramento, ingreditur domum communis habita-  
 tionis, vbi cum alijs versari, & in secunda proba-  
 tione diutius exerceri Nouitij solent.

Examen sexto quoque mense No-  
 uitij proponendum.

*In ex. ca.*

*1. §. 13.*

*& cap. 4.*

*§. 4.*

*h P. I. c. I.*

*lit. D.*

33 **P**ostea sexto quoque mense per biennium  
 probationis, easdem literas apostolicas.  
 & regulas vnusquisque videre, & considerare de-  
 bet, h & idem examen, relicto secundo & tertio  
 capite

capite & alijs, quæ ad gradum suum non pertinent; deinde, postquam hæc omnia viderit, interrogetur.

34 An prædictis omnibus contentus sit, an vero aliquid dubij vel difficultatis circa ea occurrat, quæ experimenta peregerit, & quomodo in illis se habuerit.

35 An vires sibi corporales, & spirituales superpetere sentiat ad labores perferendos, qui in Societate requiruntur, num deliberatum habeat animi propositum viuendi, & moriendi in hac Societate

In ex. ca. 5.

§. 4.

i Ibid. cap.

3. §. 14.

IESU Domini nostri.

36 Responiones huius examinis, quod sexto quoque mense fit, non erunt excipiendæ scripto, sed factum esse notetur, vt constet. Quod si quid noui occurrat, aut si qua mutatio alicuius momenti accidisset, Superiorem certiozem reddat.

37 Demum qui sic examinatus est reddet rationem conscientia suæ Superiori, aut ei quem Superior delegauerit, & ab vltima confessione generali incipiendo generaliter confitebitur Sacerdoti, qui fuerit à Superiore designatus.

In ex. cap.

4. §. 38.

k Ibidem

§. 1.

Examen eorum, qui biennio absoluto, in Scholasticos approbatos admittuntur.

38 **P**ostquam quis biennium Nouitiatus, peractis experimentis expleuerit, & ad interrogationes, quæ sexto quoque mense sunt, responderit,

B 4

derit,



derit, antequam uota scholasticorum emittat, interrogetur.

In ex. c. 7. 39 An uelit se duci sinere circa ea, quibus studere debet, ac studiorum modum, & tempus iuxta quod Superiori uidebitur.

In ex. c. 7. 40 An contentus futurus sit eodem, atque alij, modo in Collegio agere, nullisque priuilegijs, aut prerogatiuis minimum omnium, qui in eo fuerit antea, omnem sui curam Superiori relinquendo.

In ex. c. 7. 41 An Statuerit omnino apud se, studijs absolutis, ac probationibus peractis, Societatem ad uiuendum in ea, & moriendum ingredi, ad maiorem Dei gloriam.

### Examen Scholasticorum studijs absolutis.

In ex. c. 7. 42 **S**cholastici studijs suis absolutis statim postquam ad tertium annum probationis peragendum, missi fuerint, generatim interrogandi sunt, An firmi in sua deliberatione; & promissione & uotis, Deo oblati, antequam ad studia se conferrent, permaneant; ut eorum Status melius cognoscatur, & ipsi magis in Domino iuuari possint.

In ex. c. 7. 43 Interrogentur etiam, & examinentur particulatim eisdem interrogationibus, & examine,

quo

quo sexto quoque mense, antequam ad studia mitterentur, interrogati fuerunt, ut Superioribus eorum memoria renouetur, & mutatio si aliqua in rebus iam affirmatis accidisset, cognoscatur.

44 Postremo reddent rationem vite sue inchoando ab eo tempore, quo eam reddiderunt, quando ad studia missi sunt.

In ex. c. 4.  
§. 32.



## ORDO DOMVS PROBATIONIS.

**N**OVITII mane post pulsum campanæ, dum surgunt, dum se induunt, & lectum decenter operiunt, aliquas orationes ad Deum fundant, aut aliquid in Domino meditentur; & reliquo semihoræ spatio, pia aliqua lectione, aut alia ratione ad orationem se præparare poterunt.

2 Postea integram horam orationi mentali, aut vocali vel meditationi dent, iuxta cuiusque captum, & Magistri Novitiorum instructionem.

3 Absoluta oratione, media illis conceditur hora ad lectum, & cubiculum componendum, &

P. 4. ca. 4.  
§. 3. & 4.  
& lit. B. &  
C. & Can.  
36. & 37.  
tr. cong.

ad



ad discipiendum, quem fructum ex oratione collegerint.

T. 4. ca. 4.

§. 3.

a P. 3. cap.

1. §. 12.

4 Post hac Missam deuotè, & reuerenter audiant, qua absoluta, <sup>a</sup> intersint lectioni, & exhortationi, quæ de rebus spiritualibus bis in hebdomada, per dimidiam horam, illis fiet; reliqua autem dimidia statim repetent audita, & conferent inter se terni, aut quaterni sine vlla disputatione, sed cum humilitate, & modestia,

5 Sequenti die ijs de rebus, vt melius ad praxim reducantur, eadem hora fient collationes, hac ratione, vt lectione, & exhortatione præcedenti breuiter per vnum, aut plures à magistro designatos repetita, proponat aliquis quomodo vincatur talis tentatio, aut difficultas in re proposita, aut vnde oriatur hoc, vel illud impedimentum, & quid remedium possit adhiberi, & alia similia postquam autem aliqui dixerint quid sibi occurrat, Magister constituet quid tenendum sit.

P. 4. cap. 4.

§. 3. & 4.

b P. 3. cap.

1. §. 20.

6 Reliquo toto tempore vsque ad examen, (quod semper ante prandium fiet per quartam horæ partem) in suis officijs, aut in aliquo exercitio corporali, aut labore manuum à Magistro Nouitiorum præscripto occupabuntur, <sup>b</sup> aliquid tamen temporis quotidie præsertim ante prædium tribuant regulis, & Doctrinæ Christianæ, & alijs, quæ iudicio Magistri Nouitiorum cuique conuenient addiscendis, & memoriæ mandandis.

Post

7 Post examen sequatur prandium, quo absoluto horam integram recreationi dabunt, tam qui in priore quam qui in posteriore mensa pransi erunt. Tempore autem recreationis poterunt mutuo colloqui, dummodo pauciores quam quatuor non conueniant, nisi aliter Magistro uideretur. Agent autem de exemplis uitæ Christi, uel Sanctorum, aut de his, quæ cum ædificatione in Societate fiunt, aut de re aliqua utili in Domino.

8 Expleto recreationis tempore, audito campanæ pulsū, sese ad cubicula recipiant (præter eos qui in aliquibus officijs occupati erunt), ut aliquid legant, uel scribant, uel quid aliud agant, iuxta Magistri præscriptum.

9 Post finitam horam omnes cum Magistro conuenient; & pensum aliquod eorum, quæ antea memoriæ mandauerint, reddent; c postea explicabitur illis bis singulis hebdomadis, per dimidiam horam Doctrina Christiana; deinde eam recitabunt uno stante, & interrogante, & aliis respondentibus, uel sese inuicem interrogantibus, & instruuntur in modo docendi illam, iuxta morem regionis: uno uero die cuiusque hebdomadæ fiant Toni.

10 His expletis ad sua officia, uel ad aliquid legendum aut ad alias occupationes se conferent, & deinde ante ultimam horam, quæ cœnam præcedit, per semihoram orationi uocabunt: ipsam uero horam

c Par. 3. e.  
1. §. 20

d Can. 36.  
& 37. tr.  
cong.



horam ultimam sequentem ante cenam partim officijs domesticis partim corporali exercitationi, uel alijs occupationibus, quas Magister praescripserit, impendent.

II. Post cenam horam integram recreationi sicut post prandium dabunt, reliquo tempore usque ad examen (e quod semper fiet antequam cubitum eant per quartam hora partem) poterunt aliquid legere, uel alia ratione se ad orationem sequentis diei preparare, uel aliud facere, pro arbitrio Magistri Nouitiorum.

III. Nouitios inter se conuersari non conuenit, sed silentium inuicem & cum alijs obseruare; nisi in rebus, in quibus loqui necesse sit, excepto recreationis tempore, de quo iam supra dictum est.



## REGVLAE PRAEFECTI RERVM SPIRITVALIVM.

Par. 4. c. 10  
§. 7.

Par. 3. c. 1.  
§. 12.



PRAEFECTVS rerum spiritualium cognitionem instituti Societatis, & zelum boni progressus ipsius habeat. & in obedientia, & humilitate exemplum alijs praebet, &

Et amabilem se eis exhibeat, ut ad eum omnes confugiant, confidenterque sua omnia detegant, Et ab eo consolationem, Et auxilium sperent in Domino.

2 Instruat nostros priuatim, secundum uniuscuiusque captum, quomodo interius, Et exterius se habere debeant, Et ad id exhortetur, Et in memoriam redigat, Et amanter admoneat, <sup>b</sup> praesertim ut puram habeat intentionem diuini seruitij, Et familiaritatem cum Deo in spiritualibus deuotionis exercitijs, Et zelum sincerum animarum. Par. 3. c. 2  
§. 12.  
b P. 10. §. 2

3 Petat quem procedendi modum in oratione, Et examine habeant, Et si contra aliquem defectum examen particulare faciant, Et si contra inordinatos affectus propria remedia adhibeant, Et in solidis uirtutibus acquirendis, praesertim in obedientia quid obseruent, Et de paenitentijs, Et alijs deuotionibus.

4 Sicubi in his a rectitudine deflexerint, eos dirigat, iuxta modum Societatis, erga cuius institutum curet, ut omnes bene affecti sint, Et det operam, ut orandi, Et meditandi modos, quos docuit P. N. Ignatius in libro exercitiorum retineant; Et ut illo libro familiarissime utantur; videatque ne dum nostri deuotionem habere procurant, caput ledant, aut uires corporis nimis debilitent.

5 Versatum ipsum esse oportebit in lectione librorum spiritualium, Et unicuique decernat tempus, Et modum cum fructu eos legendi, qui sint facilio- c Par. 3. c. 1  
§. 20.

res,



res, & nostro instituto magis conuenientes.

6 Peculiarem habeat curam consolandi afflictos, & tepidos exhortandi, remedia pro cuiusque infirmitate, uel necessitate adhibendo, qualia sunt frequentius communicare, plus temporis orationi impendere, exercitia spiritualia facere, plus aliquid pœnitentiæ assumere, libros aliquos spirituales legere, & similia.

Par. I. c. 2.

S. 2

d P. 3. c. 2.

S. 20 & li.

R.

e P. 4. c. 4.

lit. C.

7 Parem quoque adhibeat diligentiam, ut Coadiutores temporales quieti sint, & sorte Marthæ contenti, <sup>d</sup> & pro eorum captu illos instruat, <sup>e</sup> mysteriaque Rosarij doceat, ut maiore deuotione illud recitare possint.

8 Doceat omnes, ut præmissa oratione, & cum magna reuerentia ad sacramentum altaris accedant, & post eius perceptionem per aliquod temporis spacium orent, & gratias agant.

9 Prætereos, quos satis instructos Superior iudicauerit, cum unoquoque agere de his ultra mensem ne differat; sæpe uero consideret quem fructum bonorum operum ex oratione, & ex reliquis rebus spiritualibus colligant, ut in dies magis in Domino proficiant.

10 In his autem omnibus uideat, ne ordo unicuique præscriptus impediatur, ac præsertim studia illorum, qui literis dant operam, nisi cum Superior aliter iudicauerit.

11 Curam peculiarem habeat Nouitiorum, si qui  
domi,

domi, uel in collegio fuerint, nisi a Superiore aliunde prospectum sit, & erga eos obseruare studeat ea, quæ iuxta Magistri Nouitiorum, & Examinatoris regulas obseruari commode poterunt.





51  
SERVVM SPIRITUALIVM  
domi, vel in collegio facere, nisi a superioribus  
de prebendis suis, & ex hoc obsequio  
deus ad que sunt ministeria  
tam de huiusmodi  
officiis communi  
tenent.



Fondo librario antico dei Gesuiti italiani  
[www.fondolibrarioantico.it](http://www.fondolibrarioantico.it)





Cinquecentina

n. 391

18





Fondo librario antico dei Gesuiti italiani  
[www.fondolibrarioantico.it](http://www.fondolibrarioantico.it)

